



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 20. Joannis Juvenalis Archiepiscopi Remensis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XX.

Sæcul. XV.
A. C. 1473.*Joannis Juvenalis Archiepiscopi
Remensis obitus.*

Hoc anno Francia luxit Joannem Juvenalem ab Ursinis Remensem Archiepiscopum, Guilielmi de Ursinis Baronis de Tresnel, & Galliæ Cancellarii fratrem. Is libellorum supplicum Præfectura, aliisque officiis summa cum laude perfectus, Clericali militiæ nomen dedit, ac primum Bellovacensis, postea Landanensis Episcopus, demum vero defuncto Jacobo fratre suo Remensis Metropolitanæ Ecclesiæ Antistes anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo renuntiatus est. Eodem anno Ludovicum XI. Galliarum Regem inaugurabat, hic idem cum aliis quibusdam Prælatibus nominabatur, ut ex auctoritate Callisti III. Pontificis iniquam sententiam, quæ lata erat ab Anglis in Joannam D'arcia sub nomine Aurelianensis Puellæ fastis celebratam, discuteret, ac corrigeret. Postea Joannes Synodum coegit: tandem vero die quarta decima Julii anno Domini supra millesimum quadringentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimo quinto e vivis excessit, in sua Metropolitana Ecclesia sepultus. Posteris reliquit Historiam vitæ Caroli VI. Gallia-

*Sansovin.**geneal. fam.**mil. Ursin.**S. Marth.**Gall. Christi.**de Arch.**Rem.*

Sæcul. XV. A.C. 1473. Galliarum Regis, quam ab Anno Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo octogesimo primo usque ad annum Christi millesimum quadringentesimum vigesimum secundum continuavit. Hanc Theodorus Godefridus, qui Parlamenti Advocatus erat, Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto in forma minori publici juris fecit, demum Dionysius ejusdem filius Regis Historiographus Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio majoribus literis excusam notis illustravit, atque auctam edidit. Referunt Historicorum nonnulli Juvenalem post fratris sui obitum Cancellarii munere in Galliis decoratum fuisse: sed hi firmo destituuntur documento; ac errore nominis decepti Joannem Ursinum haud discernunt a Guilielmo Ursino ejus fratre, qui a Ludovico XI. Galliarum Rege sub primis regiminis sui auspiciis Cancellarii dignitate exutus fuit, quamvis postea eundem Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto pristinae dignitati restitutum fuisse constet.

§. XXI.

Fortiguerræ Cardinalis obitus.

Aubery hist. Cardinal. Hoc anno vix non exeunte die vigesima prima Decembris Nicolaus Fortiguerra